DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE TRACHEALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES EDWARDS,

ANGLUS.

—" Ne ægri quidem quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicina est."——CIC. De Nat. Deor.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

VIRO HONORABILI

DUGLASSIO GORDON HALLYBURTON,

MILITUM PRÆFECTO,

NON MAGIS AMPLISSIMIS TITULIS,

QUAM INGENIO FELICISSIMO

OMNIBUSQUE VIRTUTIBUS ORNATO;

HOC OPUSCULUM,

CONSILIORUM OPTIMORUM

PLURIUMQUE BENEFICIORUM, QUIBUS RE

PER MULTORUM ANNORUM NECESSITUDINEM,

USQUE PROSECUTUS EST,

TESTIMONIUM,

(EXIGUUM QUIDEM, AMPLISSIMUM TAMEN

QUOD FERT TEMPUS)

D. D. D.QUE

J. EDWARDS.

OPTIMIS VIRIS

CAROLO BELL, Armigero,

S. R. S. E.

ATQUE

JOANNI SHAW, Armigero,

ANATOMICIS,

IN SCHOLA *WINDMILL-STREET*, LONDINI,

CONSOCIATIS PROFESSORIBUS;

HAS PRIMITIAS SUAS IN ARTE MEDICA,

ANIMI,

PROPTER SUMMAM EORUM BENIGNITATEM,

PLURIMAQUE IN SE COLLATA BENEFICIA,

IMPRIMIS ATQUE IN PERPETUUM

GRATI,

PIGNUS OFFERT

AUCTOR.

PRIMO SUO PRÆCEPTORI

THOMÆ CHRISTIAN, Armigero,

APUD *LIVERPOOL* CHIRURGO,

QUICUM IN ARCTISSIMA CONSUETUDINE

AMICITIAQUE QUATRENNIUM VIXIT,

HOC TESTIMONIUM;

SUMMÆ SUÆ CHIRURGI OBSERVANTIÆ,

VIRIQUE AMORIS,

SACRUM VULT

J. EDWARDS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE TRACHEALI.

Auctore JOANNE EDWARDS.

SIQUIS rogaverit quapropter ego hoc dissertationis meæ inauguralis argumentum selegerim, illud respondeo, quia, præter multa huic morbo propria indicia, studioque dignissima, optimum exemplum præbet quam sit efficax ars medicinalis, qua vita fortasse charissimi non raro servatur; ejusdemque morbi cum plurima exempla viderim, donec diu in oppido maritimo Britanniæ fui, ne-

mini mirum videri debet, quod de hoc, cum scribendum utique fuerit, scribere constitui.

Paulo amplius quam quinquaginta abhinc annos hujus vitii veram naturam demonstravit Dr HOME; quam accuratissima exquisitione, summa diligentia instituta, indagaverat; ejusque opiniones usus aliorum jampridem comprobavit. Sola quidem res de qua recentiores medici ab eo dissentiunt, est quod ad morbi sedem; quam hi putant non esse in glandulis mucosis, sed in ea membrana quæ iter obducit, atque ita constans membranosam, quæ in aspera arteria reperitur, effusam * lympham esse ex vasis inflammatis arbitrantur, neque, ut existimabat HOME, solum mucum vitiatum. Post tempora autem Doctoris HOME, curatio morbi plures mutationes subiit, non modo quod ad usum submuriatis hydrargyri, tartratisque antimonii pertinet, sed etiam quia, sub finem morbi, aspera arteria commode nunc sæpe † inciditur.

* "Mr C. BELL's Surg. Observ."—"Dr CHEYNE on the Pathology of the Larynx and Bronchiæ."

† "Mr CHEVALIER's Case, Med. Chir. Trans."

DE MORBI HISTORIA.

Hoc vitium videtur pueros potissimum afficere, a primo ad duodecimum annum, raroque aut ante, aut post id tempus se ostendit; neque tamen non interdum adultos homines, atque adeo senes infestat. Hujus generis duo exempla, intra unum annum, in Valetudinario apud Liverpool acciderunt, in quibus signa propria hujus mali manifestissima fuerunt. Neque hoc vitium proprium esse videtur ulli loco cœlove; siquidem non modo in cætera Europa, sed etiam Africa atque America, plane idem morbus vulgaris est. Veruntamen sæpius fortasse locis septentrionalibus quam australibus occurrit; diciturque ab HOME atque aliis, sæpius in locis maritimis quam mediterraneis se ostendere; unde licet fortasse existimare, aëra ex mari quandam proprietatem habere ad morbum faciendum. Ex iis autem qui afficiantur plerique rubicundi pulchrique sunt; soletque morbus sæpe eos repetere quos semel affecit, usque ad

annum duodecimum vel decimum quartum, quo tempore corpus eam mutationem subire videtur, qua ab accessionibus ejus postea tutum redditur. Quod si morbus interdum publice grassatur, tamen nihil est cur putemus eum contagiosum esse: ego ipse vidi plures familias simul affici, etsi longe inter se distarent. Videtur autem morbus magis urgere hieme vereque; ideo fortasse quia tunc creberrimæ mutationes tempestatis sunt, et quia frigus humorque tunc magis quam per menses æstivos vexant. At puer, ubi afficitur, primum languore affici videtur, sodalesque morosus deserit, cibumque fastidit. Secundo die cutis præter naturam incalet; facies rubet; lingua albida est, pulsusque celeres et duri: his accedit nausea interdumque vomitus. Tertio autem die, præter hæc signa, plus minus rigiditatis est apud guttur cervicemque, cum raucitate levi, quæ tussim asperitudinemque faucium excitare videtur. Insequente nocte, aut postridie, proprius sonus, et inter loquendum et tussiendum, notabilis est; tussisque nunc sicca asperaque et brevis est. Ut febris autem procedit, difficultas spirandi magis magisque urget, et pectus attollitur et demittitur cre-

brius et distinctius quam pro natura. Subinde tussis quasi latrans auditur; cujus sonus tam proprius est, ut qui semel audivit nunquam postea falli possit; a quibusdam autem dicitur quasi per fistulam æneam procedere, vel repræsentare latratus canis, aut galli cantus. Nunc vero vultus majorem solicitudinem exprimit; facies vehementer rubet; oculi suffusi sunt et illachrymant; pulsus crebri et imbecilli sunt; cutis arida calidaque, lingua aspera, sitisque magna. Hoc tempore urina fere* limpida est, interdum tamen rubra. Sub inspiratione sonus sibilans editur, quasi iter aëris constringatur. Vox sensim acutior, tussisque magis sonora redditur; interdum aspera arteria leviter intumet, digitisque admotis dolet. Post crebros conatus ad pituitam ejiciendam, quæ videtur glottidi adhærescere, accedit fatigatio cum sopore; ex quo tamen puer subito expergisci solet, sensu quasi strangulationis, quæ summum terrorem in vultu exprimit.

---

* "Dr Home's Inquiry into the Nature, &c. of Croup."

Quod si ante quartum diem morbus non lenitur, hæc omnia ingravescunt: spiritus summo dolore laboreque ducitur; vultus labiaque intument et livescunt; oculi eminent; pulsus celeres infirmique et inordinati sunt; manus pedesque tumidi, materiaque purulenta, cum pituita et portionibus quasi membranæ, aliqua ex parte solutæ, subinde ejiciuntur; quod quoties accidit, agitatio convulsiva fit, sub qua puer periturus esse videtur, tandemque, postea quam sæpe frustra conatus est spiritum ducere, interimitur. Annotatum est urinam paulo ante mortem, vel postea quam materia ejecta est, turbidam esse, interdumque aliquid lateritii coloris demittere. Quartus autem dies fere is est quo æger tollitur, si nulla remedia adhibita fuerunt, vel si omnia superavit; interdum tamen subito rapit, vel ipse post biduum finitur: quod ad hæc omnia, multum ex modo inflammationis, vehementiaque spasmi, et viribus, ætate habituque pueri pendet.

Sæpe quoque accidit ut tussis voxque clangens, quæ tam propriæ huic morbo sunt, inter prima signa mali sint, neque præcedit aut febris aut catarrhus. Puer, igitur, mali sui inscius, cum so-

dalibus versatur, sumitque cibum et potionem, sine ullo manifesto incommodo, usque ad paucas horas ante mortem; vel per noctem difficultate spirandi corripitur, quam sequuntur conatus convulsivi ad spiritum ducendum, qui, nisi mature sublevantur, puerum protinus extinguunt.

DE MORTUORUM EX HOC MORBO SECTIONE.

Corpora eorum qui ex Cynanche Tracheali mortui sunt, ostendunt quasdam notas externas, similes iis quæ in mortuis ex submersione strangulationeve reperiuntur. Labia, faciesque et collum intument; oculi turgent et rubent; et plerumque aspectus pallidus lividusque est; ad hæc, manus cruraque interdum tument. Arteria aspera partesque vicinæ tumidiores solito fere sunt; verum hoc non perpetuum est. Fauces rubent, lymphaque conteguntur. A parte interiore asperæ arteriæ, ibi ubi cum larynge committitur, crusta densa membranosaque et tenax, magisque aut

minus crassa, viam implet: hæc nova tunica usque ad bronchia sæpe extenditur, et per eorum ramos interdum serpit. Membrana laryngis quoque crassa est, plusque minus crusta obducitur; præter vero alienam materiam modo descriptam, fere magna copia est puris, spumante muco commixti, cujus pars est inter novam membranam propriamque viæ tunicam, atque pars in ima parte ejusdem, ita ut bronchos ramulosque eorum minutissimos impleat. Cellulæ quoque pulmonis eadem materia infarciuntur; hic vero, quia sanguine commiscetur, qui venit ex vasis juxta extremos hos tubulos materia rubrioris obscurierisque coloris est. Accedit quoque, lenis rubor tunicæ interioris asperæ arteriæ, sic tamen ut nulla, neque exulceratio, neque ad gangrænam proclivitas, hic annotata sit; crassior tamen est, interdumque maculis distinguitur, quæ etiam in lympha coagulata aspiciuntur. At nova membrana plurimum in densitate, pariter atque colore, variat; interdum admodum tenax firmaque est, et ad lineas tres quatuorve crassa, ita ut cylindrum integrum intra asperiam arteriam faciat; interdum mollior est, dependetque modo habenarum

aut filorum, quæ sæpe excreantur. Color vel flavus subfuscusve, aut pallidus, aut obscurus, aut pro sede varius est. Non raro quidem totum iter muco puri commixto intercluditur, sic ut tenax membrana, quam modo descripsi, plane desideretur. Plurima autem pulcherrima exempla hujusmodi in aspera arteria crustæ, in refertissimo illo musæo CAROLI BELL aspiciuntur; in nonnullis ex quibus via plane occluditur, a larynge ad bronchia usque, ita ut admodum exiguum spatium transeunti aëri relinquatur, etsi satis ad spiritum ducendum, nisi fortasse cellulæ aëris materia aliena implerentur, unde demum plerumque strangulatio accidit. Sequitur ut pulmo ita impletus non collabitur, ubi aëri objicitur. Secundum Doctorem BAILLIE aliosque, post vetustum morbum, pulmo admodum inflammatus reperiri solet; idque accidit ubi æger nullum dolorem in pectore conquestus est.

DE RATIONE DISCERNENDI INTER HUNC ALIOSQUE MORBOS.

Plurimum pertinet ad rem posse dijudicare inter Cynanchem Trachealem aliosque quosdam morbos, qui quædam communia signa ostendunt. Præcipua autem signa propria prioris pertinent ad vocem tussimque et spiritum; simulque quædam leniora discrimina sunt, unde hoc a cæteris malis discernimus.

Verisimile quidem est antiquos interdum hunc morbum pro simplici Catarrho sumpsisse, ex sono sibilante, tussi, muci expuitione et febre quæ in utroque accedunt. Summum vero discrimen in singulis ex his notis accidit. Vox acuta est in Cynanche Tracheali, tussisque habet sonum clangentem sibi proprium; ad hæc, spiritus gravior est, pulsus frequentes et imbecilli, quæ satis fere sunt ad hunc morbum a catarrho discernendum.

Plurima autem signa communia Pertussi Cynanchique Tracheali sunt, qualis est is sonus

clangens, qui post singulas accessiones tussiendi editur, ex longa difficilique aëris inspiratione, qui videtur transmitti per tubum coarctatum. Is autem proprius sonus, "hooping" vocatus est; distat vero multum a proprio sono sub Cynanche Tracheali edito; siquidem hic ex aëris expiratione movetur, breviorque est. Præterea, magis adhuc discrimen est modo quo tussis accedit et decedit. In Pertussi subito venit, vehemens est, sonoras inspirationes movet, postque breve tempus ægrum fatigatum dimittit, qui integer postea per longum tempus restat. Hæc igitur, simul cum natura contagiosa hujus mali, a Cynanche Tracheali facile discernunt.

Inter hunc morbum vero et Cynanchen laryngæam, putaremus discrimina minus manifesta fore; tamen ex recentioribus experimentis videtur summum discrimen subesse quoque inter mala laryngis asperæque arteriæ. In Cynanche* igitur laryngæa, fauces quodammodo intument rubentque, plusque aut minus doloris ardentis in

* "Burns' Midwifery."

larynge est. Non sine dolore quoque devoratur; vox susurrat, vixque audiri potest; neque tussis sonum proprium Cynanchi Tracheali edit. Quod si morbus adultos afficit, (id quod sæpissime accidit), plerumque ex aut syphilide aut hydrargyro proficiscitur, quæ Cynanchem Trachealem nunquam concitant.

Quoniam vero Asthma acutum infantum, sive Cynanche Trachealis spasmodica, incipit a summa difficultate spirandi, crebrisque agitationibus ad spiritum ducendum, non dissimilibus iis quæ accidunt ubi aëris introitus corpore alieno intercluditur, possumus primum suspicari effusionem jam evenisse, membranamque novam aliquam partem asperæ arteriæ jam occupare. Ab hoc casu autem discernitur subita accessione, quam nulla febris præcessit, signorum remissione, et quia neque sopor, neque febris, neque excreatio muci comitantur.

DE PRÆSAGIO IN HOC MORBO.

Quoniam necessarii ægri nihil sæpius magisve solicite ex medico quærunt, quam de modo periculi, plurimum interest ut cognoscat notas unde hoc colligere possit. Igitur si æger febriculam lenem habet, si tussis soluta est, sputumque facile, si mens hilaris est, neque puer soporari vult, prædicere possumus morbum tutum fore. Quod si rursus summus angor est, qui ostendit grave impedimentum spiritus, si labra intument lividaque sunt, si spiritus laborat, tussis aspera et sonora est, sæpeque redit ita ut nihil ejiciat, puerum in præcipiti esse merito judicamus. At signa quæ instantem mortem protinus antecedunt, hæc sunt; pulsus exigui sunt, interdumque intermittentes, summus languor universum corpus occupat, puer materiam extussire nequit, quæ glottidi ita adhæret ut vehementer exasperat; ad hæc, valide quidem, frustra tamen, ad spiritum ducendum luctatur.

DE CAUSIS QUÆ HUNC MORBUM MOVENT.

Ut in cæteris omnibus disciplinis, ita in medicina necessarium est, quo certa atque stabilita sit, ut non modo res ipsas, sed causas rerum quoque perscrutemur; manifestum enim est eo meliorem morbi curationem fore, quo melius causas ejus primum exquisivimus. Neque enim experimentis solis, ad modum curandi deprehendendum, confidendum est, modo empiricorum; sed ratio quoque adhibenda est, si volumus morbos commode curare. Antequam vero causas Cynanches Trachealis proponimus, dicere oportet, signa post mortem non semper respondere testimoniis morbi; hunc igitur divisum fuisse in duas species, quarum alteram Cynanchen Trachealem Inflammatoriam, alteram Spasmodicam, vocant. Prior autem ideo Inflammatoria vocatur, quia causa, unde signa protinus proficiscuntur, putatur esse inflammatio membranæ quæ asperam arteriam

vicinasque partes obducit; posterior Spasmodica, quia ex spasmi glottidis spiritus intercluditur, sæpeque puer extinguitur, ita ut nullum vestigium mali post mortem reperiatur. Ex signis vero post mortem quæ jam proposita sunt, maximeque ex puris generatione lymphæque coagulabilis effusione, ex asperæ arteriæ laryngisque rubore, simulque ex omnibus signis quæ per vitam se ostendunt, (qualia sunt calor irritatioque et molestia circa guttur), ex faciei rubore, siti, lingua albida, pulsu duro, et denique ex crusta coriacea quæ missum sanguinem in hoc morbo contegit, recte judicamus unam certe speciem ex inflammatione proficisci. Effectus autem hujus actionis inordinatæ vasorum est effusio materiæ, quæ membranam repræsentat, similisque est iis quæ interdum repertæ sunt inter viscera post eorum inflammationem. Utcunque vero exigua hæc membrana primum sit, tamen satis esse potest, ad multum irritationis movendum, atque ita ad excitandam majorem effusionem, donec tandem iter plane intercluditur. Hujus autem corporis alieni irritatio ad laryngem cito serpit, unde convulsiones, crebrique conatus ad spirandum, qui,

sub finem morbi, summum impedimentum aëris transeuntis per glottidem ostendunt. At in altera specie, sive Spasmodica, nulla ex his signis, neque in aspera arteria, neque larynge, deprehenduntur; tamen sanguis fere in pulmone effunditur, spiritusque impeditur, quo minus in pectus descendat, contractione spasmodica glottidis. Quæ igitur sit causa hujus irritationis debet primum quæri siquidem curatio felix hujus speciei morbi ex hac omnino pendeat. Pari ratione qua judicamus plures alias corruptas actiones partium remotarum ex vitiata actione organorum quæ concoctioni inserviunt proficisci, hoc quoque malum ex eadem causa non raro excitari existimatur; itaque dentitioni vermibusque et iis similibus, interdum refertur. Dictum* est quoque interdum moveri posse irritatione basis cerebri, vel originum eorum nervorum qui ad guttur feruntur, maxime recurrentis, cui plurimum ad hunc morbum faciendum quibusdam tribuitur.

Hæc igitur de causa proxima, ut dicitur, morbi;

---

* "Burns' Midwifery."

venio nunc ad eas quæ corpus obnoxium huic reddunt. Ex his igitur ætatem infantilem jure collocamus; et cum eos infantes potissimum afficiat qui modo sugere desierunt, licet existimare aliquid organis tunc temporis inesse quod morbo maxime opportuna reddit. Cujusmodi vero hoc sit, nondum plane deprehensum est; novimus tamen hac ætate mobilitatem omnium texturarum corporis majorem esse, easdemque omnibus noxis citius certiusve affici, quam ubi ætas paulum processit, ubi sensus magis hebetescit. Est quoque alia causa unde aspera arteria opportuna inflammationi redditur, eaque est conditio quæ relinquitur post catarrhum rubeolamque et pertussim; neque enim raro Cynanche Trachealis hæc omnia mala subsequitur. Notandum quoque est, quem hic morbus semel affecit, eum sæpius repetere solere; ad hæc, pueros pleni habitus corporis, cum cute pulchra et rubicundula (uti dixi), sæpissime opprimit. At spasmodica specie morbi puellæ sæpius quam pueri conflictantur; ideo fortasse quia cerebrum reliquumque genus nervosum magis irritabile est, per mutationes quas earum corpora subeunt, quam in pueris.

Quod ad causas vero excitantes pertinet, præcipua frigus est, sive protinus ad organa spiritus admovetur, sive ad summam cutem: quod si vero frigori humor accedit, perniciosissimum esse judicatur. Morbus vero magis urgere locis maritimis, eorumque vicinia, quam mediterraneis putatur; ideo quia venti, qui a mare flantur, secum vehunt portionem materiæ salsæ, quæ ubi membranis gutturis admovetur, movet tantam irritationem ut inflammationem concitet. Hoc vero minus certum est; satis tamen certum, morbum non raro accidere longe a mari; unde sequitur ut etiam sine tali ulla salsa materia, ex frigore solo possit proficisci. Aliæ causæ excitantes morbi putantur esse vehementes exercitationes vocis, ut inter clamandum cantandumve; verisimileque est has interdum morbum movere. Ea quoque irritatio quæ dentitione vermibusve movetur, potest interdum satis esse ad morbum excitandum; sæpeque accidit, ut nulli alii causæ referri possit, maxime ea species quam spasmodicam esse jam proposui.

DE RATIONE HUNC MORBUM CURANDI.

Cum causas jam proposuerim unde terribilis iste morbus proficisci existimatur, proximum est ut quæramus quibus remediis hæ optime depellantur, atque ita corpus ad sanitatem perducatur. Consilium autem, in hoc morbo curando, triplex est: primum, inflammationem discutere quæ in aspera arteria sita est; deinde, materiæ membranosæ quæ in itinere reperitur expuitioni favere; et denique, strangulationem ex spasmo glottidis arcere.

Ad primam partem autem consilii implendam, optimum præsidium sanguinis missio est. Hic, igitur, ubi morbus recens est, atque puer plenus et robustus, mitti protinus debet, incisa vena, magnaque copia simul detrahi, idque iterum tertioque fieri debet, donec signa se remittere incipiunt. Si mature mittitur sanguis, optimum est satis magna copia protinus mittere; plurimum enim pertinet ad rem inflammationem initio co-

hibere, quæ si ingravescit, non liceat fortasse ægrum debilitare sanguine satis magna copia misso. Sanguis autem optime mittitur ex brachio; id quod sine difficultate fit infante unius vel duorum annorum; potest quoque ex vena jugulari exteriore, arteriave temporali, commode mitti. Cucurbitulæ quoque pectori admotæ plurimum valent, siquidem his quoque magna copia sanguinis detrahi potest; et hirudines magis utiles sunt, ut quæ affigi possint protinus super morbi sedem. Hæc igitur in pueris imbecillis, iisve qui jam morbo multum debilitantur, maxime idonea sunt. At copia sanguinis quæ mitti debet pro ætate naturaque corporis ægri, simul atque pro tempore accessionis, erit. Igitur puer unius anni potest sustinere missionem duarum unciarum, bimus autem trium, quadrimus sex unciarum jacturam facile tolerat, cæterique pro ætate aliisque rebus.

Post sanguinis missionem vomitoria sunt, quæ admodum adjuvant ad actionem auctam cordis arteriarumque imminuendam, qua sanguis minore copia, minoreque impetu, ad sedem morbi fertur. Sub eorum usu pulsus semper sedantur, faciesque

pallescit; id quod ostendit imminutam actionem generis vasculosi. Ad hoc malum igitur, ubi recens est, atque adeo ubi inveteravit, vomitoria bene adaptantur. A quibusdam tamen putatur hæc medicamenta non ita dari debere ut vomitum, sed ut nauseam, moveant; atque ita in exiguis copiis solum adhibent. Nihil tamen prohibere videtur, ne ventriculus summo commodo onere suo primum liberetur; posteaque tartras antimonii, ita datus ut nauseam moveat, multum prodest, actionem vasorum cohibendo, corpusque universum quodammodo sedando.

Sequitur balneum calidum, quod, simul cum hirudinibus gutturi admotis, tartrateque antimonii, ut supra dictum est, dato, potest vehementer adjuvare inter initia hujus morbi, et etiam ubi paulum processit. Hoc enim modo sanguis cæterique humores cutem versus depelluntur, actioque cordis et arteriarum mirum in modum coercetur; quinetiam pedes in calidam aquam demisisse, interdum corpus admodum sedat. Opera tamen danda est nequando aqua nimis caleat; siquidem infervens aqua, plane contrarium effectum ab eo qui postulatur, esset effectura.


Vesicatoria quoque, uti in multis aliis inflammationibus, ita in hac multum proficere possunt. Itaque ubi sanguis justa copia jam missus est, amplum vesicatorium aut super pectus aut cervicem injeci debet. Quidam malunt protinus super guttur admovere, quod tamen periculosum est, ex irritatione tam prope sedem morbi excitata. Modus autem quo vesicatoria valent, putatur esse depellendo irritationem foras, atque ita tollendo a parte magis ad vitam necessaria. Vesicatorium autem amplum esse debet, in omnibus inflammationibus; siquidem, ubi exiguum est, corpus accendit, viresque ægri frangit, neque tamen valet ad morbum solvendum.

Quam utilia autem sint remedia purgantia initio omnium morborum qui inflammationem habent, medici una voce fatentur, eademque in hoc summo præsidio sunt; quinetiam iis aliqui pene solis confidunt. Ex his optimum fortasse submurias hydrargyri est, cujus boni effectus a quibusdam proprietati ejus purganti omnino tribuuntur, ideo quia sæpe annotatum est, omnia signa multum leniri post dejectiones virides copiosasque. Hoc tamen medicamentum vehemen-

ter prodesse cognitum est, neque tamen in alvum ullo modo agere; ita ut effectus ejus ex aliis proprietatibus manifeste pendeant. Si mature datur satisque magna copia, semper adjuvat, itaque nunquam prætermitti debet; unum aut alterum granum puero unius vel duorum annorum commode datur, majorque modus prout ætas sustineat. Alterum autem consilium medendi jam proposui esse, membranæ, quæ in aspera arteria est excreationi favere; id quod optime assequimur medicamentis vomitoriis, balneoque et potionibus tepidis; ad hæc, vapore ferventis aquæ, per instrumentum ad id aptum, in pulmonem accepto. Hoc mihi esse videtur optimus modus laxandi disjungendique crustam membranosam quæ iter intercludit. Ad hoc igitur instrumentum idoneum nuper repertum est Edinburgi, ingenioso quodam medicinæ studioso, quod ita fabricatur ut vapor, sine ullo incommodo ex calore, duci spiritu possit; vel ut idem vapor in ullam partem corporis satis magno impetu dirigatur. Quoniam vero mihi videtur plurimum pertinere ad rem ut hæc crusta tollatur, non alienum esse vi-

detur ut hic instrumentum breviter describam, quod multum boni pollicetur, non modo in hoc morbo, sed etiam in multis aliis gutturis auriumque et aliarum partium vitiis. In ostium igitur vasis stannei, ad magnitudinem peneque ad formam vulgaris vasis ad vinum continendum, duæ fistulæ stanneæ ad tertiam partem pollicis in diametro, inserantur; ex quibus altera subter aquam ad dimidium pollicem descendit; altera habet extremam partem suam patulam, paulo infra cervicem vasis, supraque aquam. Vas autem aqua fervente ad dimidiam partem, aut ad duas tertias partes, impletur. Extremæ partes fistularum autem quæ extra vas sunt ita instruuntur, ut in os commode accipiantur; fistulæque ipsæ simul cervici vasis subere, per quod transmittuntur, affiguntur, subere et fistulis ita inter se conglutinatis ut neque motum admittant, neque vaporis egressum. Utilitas autem duarum fistularum hæc est; ut, quo tempore vapor per brevem fistulam ducitur, aër per alteram, ad amissionem vaporis resarciendam, irruat; atque ita vapor refrigeratur, redditurque aptior quo in pulmo-

nem accipiatur. Quod si vapor in partem exteriorem dirigendus est, solum necesse est ut minister per longam fistulam flet; ad hoc vero necessarium est ut aqua, subjecto calore, calida retineatur. Subjunxi formæ instrumenti descriptiunculam, uti post HERCY, nuper decessum, adauctum est.



Tertium autem consilium curandi est, strangulationem arcere; id quod partim afficitur iis remediis quibus spasmus solvitur, qualia sunt opium, æther, et iis similia; solum vero quod puerum tutum præstat ab hac terminatione, est incisio asperæ arteriæ, ubi per hanc materia evocatur. Quamvis perpauca exempla sunt in quibus hoc fecisse valuit, tamen non prætermittendum est, ubi cætera omnia remedia fallunt; quinetiam in hoc exemplo morbi quod memoriæ prodidit CHEVALIER *, videtur strangulationem interdum ac-

* "Mr CHEVALIER's Case, Med. Chir. Trans."

cidisse citra effusionem lymphæ coagulabilis; ideoque si mucus materiaque purulenta ejicitur, verisimile est ut vita servetur.

Superest ut pauca dicam de curatione alterius speciei Cynanches Trachealis, sive Spasmodicæ. Ubi igitur puellas plenas atque robustas, ut solet, afficit, idonea sunt sanguinis missio, purgantia, interdumque vomitoria; spasmus vero laryngis æthere mature dato sæpe depellitur. Quod si hic morbus infantem male habet, medici est quærere quæ sit conditio gingivarum et intestinorum; quæ, ubi irritantur aut dentitione, aut vermibus, ad solita eorum malorum remedia confugiendum erit.

FINIS.